

causa facienda, testificandique mei in TE officii finibus et
huius vnius desiderii, quod in tuenda TVa quasi habitat bene-
volentia et recreatur, quamuis hanc ipsam latius mea cura et
prudentia patere prouinciam animaduerterem: verebar tamen,
ne hanc solam rationem secutus, temporis, quam TVi studiosior
existimarer, ex eoque hominum genere, qui priuatum non fere
quemquam, iudices publicisque muneribus praefectos semper
omnes amant. Accedebat, quod in tanta, qua stipatus appares,
congratulantium multitudine et excellentia, mei citius obliuiscen-
di periculum adesset, qui, cum praeter paternam necessitudinem
et coniunctionem, adhuc nihil apud TE habuerim commenda-
tionis, hanc omnem iam a TVa spero humanitate.

Quare tandem ad hanc triplicem animum appuli consideratio-
nem, qua TV mihi, *Vir Magnifice*, spectandus venires atque co-
lendus, vt Tlbi et Iureconsulto, et Pro-Cancellario et Agnato,
singulis his personis, nisi is, qui deberetur, (quid enim perfecti
a me potest praestari?) talis tamen a me haberetur honos, qualem
vel maximum Tlbi demonstrare mea tenuitas ferret. *Vti enim*
veterum TV Iureconsultorum sanctitatem, sapientiam et in au-
diendo facilitatem, non es modo consecutus, sed plane, addito
Christiani nominis decore et humanitate superasti: ita et hoc,
quod in antiquitate adolescentibus et iuris studiosis, mihi licere
putaui, vt, quantum ineuntis meae aetatis pudor pateretur, ex
TE aliquid quaererem, quaerendoque discerem. Subieci igitur
disputationi eiusmodi argumentum, quod, minus quidem ex in-
tima iuris doctrina haustum, haberet vero eam cum patro iure
coniunctionem, quae nec maior nec arctior inter parentem posse
liberosque cogitari videtur. In *Rem Lusatorum Diplomaticam*
cum nuper inquirere cooperim, eo quidem consilio, vt, quod
valde desiderarem, hac mihi via lumen in cognoscendis et illu-
strandis patriae legibus accenderetur: hunc optimum legitimae
doctrinae, vnum verumque fontem pesime ad hunc diem habi-
tum, eiusque et integritatem esse et salubritatem penitus negle-
ctam, moleste tuli. Maiori vero haud scio temeritate, an impru-
dentia,